

05 A 528

05

A

528





DOCTORE ET DUCTORE SPIRITU
SANCTO,

VI. DISPUTATIO

ισωδολογική

eaque

III. Specialis & prior de SYNODO CON-
STANTINOPOLITANA I.

Oecumenica II.

De

ACTIS SIVE REBUS

GESTIS SYNODI

κατὰ πλείους, ἰσορμῶς

In Electorali ad Albim Academia,

AUTORE ac PRÆSIDE

I O H A N N E F Ö R S T E R O

SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Respondente,

M. JACOBO ECHMANNO

Wittenbergensi.

Ad diem 28. Novembr. horis locoq; consuetis.

WITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.




05 A 528



TRANSITIUNCULA

Affertio I.



Ecclesiam CHRISTI, in hisce terris militantem atq; (a) Scripturæ *ἡ ἐπιφάσεις*, *terribilem velut castrorum aciem ordinatam*, Hostis ejus *ἄσπρον*  *Satanas*, *triplicem militum agmine oppugnare consuevit.*

(a) Cant. c. 6, 39.

II.

Est *Violentorum*, 2. *Fraudulentorum*, 3. ex hoc utroq; *Mixtorum.*

III.

Primum in aciem potissimum produxit, *Ἀρχιψεύσης* καὶ *Ἀρχιφονεύς* iste Ioh. c. 8, *primam, secundum secundam, tertium tertiam, Ecclesiae N. T. periodo.*

IV.

Prima *periodus* durabat usq; ad *Constantinum Magnum*, qui factus *Imperator*: A. C. 306; *Christianus*, A. C. 312.

V.

Hanc Ecclesiam gravissimè persequebantur Hostes maximè *Violenti*, id est, *Tyranni*, quales *Nero*, *Domitianus*, *Maximinus*, *Decius*, *Diocletianus*, & *Maximinianus* &c.

VI.

Et sanè recensentur vulgò *decem* persecutiones *Christianorum* sub his alijsq; *Imperatoribus Romanis* factæ ad numerum *denarium* plagarum, quæ exitum *Israëlitarum* ex *Aegypto* præcessisse narrantur in *Exod. c. 7. 8. 9. 10. 11.*

VII.

Multò plures autem extitisse *Χριστιανοδοξίας* pie & eruditè disputat *Augustinus* verè *Augustus* & *Divinus Hipponensis* *Ecclesiae Antistes.*

lib. 18. de Civ. DEI c. 52.

VIII.

Secunda *periodus* à *Constantino* porrigitur usque
A 3 ad

ad Imperatorem Phocam, cujus autoritate confirmata Pontificis Romani *πρωτεία* Antichristiana, cujus ἐξάρχων Bonifacius, (verius Lutheri iudicio, *Malifacius*) tertius. A. C. 606.

Vide *Trinsew Lutheri Tom. VII. Ienensi f. 345.*

IX.

Hac ecclesiam infestabant præcipuè Hostes *Fraudulenti* sive *Heretici*: id quod hand obscure arguunt, Synodi Oecumenicæ, quæ omnes & singulæ, isthac secunda periodo, contra Hæreticos fuerunt institutæ.

X.

Tertia periodus complectitur *Regnum Antichristi Occident alis*, partim *fraude occulta per hæresin*: partim *vi manifestâ per tyrannidem*, & sic tum *verbo sicto*, tum *ferro stricto* amplissimè dilatatum.

XI.

Contra hostes hujus *tertiæ* periodi *DOMINVS πρωτιςμων*, Lutherum *Spiritu Prophetico*: contra hostes *primæ* periodi *Constantinvs* *Potentiâ imperatoriâ*: contra hostes *secundæ* periodi *Patres orrthodoxos* *sapientia & eruditione Theologica* instruxit, instructosq; excitavit.

XII.

Patrum *sapientia & eruditio Theologica* maximè eluxit in *Synodis Oecumenicis*, secundo *Hostium* agmini ex adverso oppositis.

XIII.

Primam perlustravimus hætenus, *Nicenâ* puta: succedit *Secundæ* eaque *Constantinopolitana*, cujus *Historica*, hac vice, *methodo* *inidem* *ἡσυχαστικῆ*, breviter & perspicuè *evolvere* fert animus.

I. *Causa efficiens, sive à quo Concilium istud indictum.*

XIV.

Duæ sunt de autore, à quo Synodus ista Oecumenica fuerit convocata, *sententiæ*: *Una vera: falsa altera.*

XV. *Vera*

XV.

Vera est Orthodoxorum, horumque cum primis, postremo I. Sententia hoc seculo, Choragi, Lutheri inquam: Ἐξαρχος nampe ejus non fuit vera, isse alium, præterquam Theodosium primum, sive Seniores vel Majorem, Romanum Imperatorem.

XVI.

Id enim clarissima clarissimorum autorum testimonia abundè docent & confirmant. Annotamus saltem unum atque alterum:

Socrates lib. V. c. 8.

Imperator (Theodosius) nullà morà interposità, Concilium Episcoporum ipsius fidei amplectentium convocavit.

Theodoretus lib. V. c. 7.

Tum igitur ob rem sui tantùm Regni Episcopos Constantinopolin convenire jussit.

Sozomenus lib. VII. c. 7.

Brevi deinde (Theodosius) Concilium Episcoporum sibi consentientium convocavit.

XVII.

Testatur idem, ex autoribus jam memoratis, Narratio Historica de ista Synodo Tom. I. Concil. p. 405.

XVIII.

Falsa autem opinio est Romanensium, horumque præcipue Archiducis Bellarmini, qui, ut lucem veritatis Historicæ nubecula Sophisticationis superinductà obfuscer: Damasum Papam jus indicendi Concilium illud Theodosio, quasi Vicario, commodas, se fabulatur.

XIX.

Ita enim infelix illud Thaidis Romanæ mancipium inverecundè nugatur:

Lib. I. de Conciliis c. 13.

DE CONSTANTINOPOLITANO I. Theodoretus refert, Theodosium non tam illud indicisse, quàm literas Pontificis Damasi, quibus Concilium indicebatur, ad Episcopos misisse. Sic enim scribunt Episcopi congregati in illo Concilio ad Damasum Pontificem apud Theodoretum lib. 5. histor. c. 9. Mandato inquit literarum

A 3

supe-

riore anno à vestra reverentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus.

Licet ergo Theodosius indixerat Concilium, tamen indixit ex mandato Apostolicarum literarum. Quare in VI. Synodo act. 18. Patres dicunt, Theodosium & Damasum obstitisse Macedonio per secundam Synodum, sicut paulò antè dixerat, Constantinum & Sylvestrum coegisse primam Synodum, ut obsisterent Ario.

XX.

Duas affert ratiunculas: sed stramineas & elumbes, ad quas
Responso ad II. responsa expedire in proclivi est.

Ratiunculas

XXI.

lesuite.

I. Priorem petit ex Epistola Patrum Concilii ad Damasum exarata quæ recitatur apud Theodoretum lib. V. c. 9.

XXII.

Sed, in ista allegatione, præterquam quòd paragraphus ille propriè conventum Episcoporum proximo, à Concilio, anno, spectare videatur (id quod Eruditis judicandum committimus) in tres simul fallacias impingit Sophista.

XXIII.

Prima est ὁμογενείᾳ ἢ φησὶν vel testimoniis malà fide citati. Apud Theodoretum enim, ne unus quidem, tota illa in Epistola apiculus: sed ita simpliciter habent verba:

Concurreramus enim Constantinopolim ad Vestrae Reverentiae literas, post Concilium aquileiense missas Theodosio summà pietate Imperatori, ad solam peregrinationem hanc Constantinopolitanã parati.

XXIV.

Secunda est τὸ παρεπιμένειν. Quæ enim quæso sequelæ necessitas: ad literas Damasi Theodosio missas concurrerunt Episcopi Constantinopolin. Ergo concilium istud Constantinopolitanum, autoritate & mandato Damasi Pontificis indictum fuit?

XXV.

Literis enim illis non mandavit istud Imperatori Damasus: sed precibus ab ipso contendit; quemadmodum (id quod in eadem epistola expressè habetur) idem ab eodem literis petiit, ut Episcopos Orientales Romam ad Concilium mitteret.

XXVI.

Quare κατὰ τὸ βίαιον istud Iesuitæ argumentum rectissime
hinc in modum *inverti* potest:

*Damasus neq; Constantinopolin neq; Romam ipsemet convocare est ausus
Episcopos Orientales: Sed necesse habuit ad literis impetrare à
Theodosio Imperatore. Ergo.*

XXVII.

*Tertia est Divisionis: Subdolè enim dissimulat Impostor &
Præcedentia: Et Subsequentia illius Epistolæ apud eundem autorem
Theodoretum.*

XXVIII.

Nam quantum *Præcedentia* spectat: in capite VII. ejusdem
Libri, disertè narrat: Concilium istud ab Imperatore Theodosio,
fuisse congregatum, nulla planè Damasi injecta mentione, Verba
αὐτολεξει annotata sunt *Thesi XVI.*

XXIX.

Eadem nuda & pura veritas in aprico sistitur, ceteris ejus-
dem argumenti sententiis, in eâdem *Thesi*, allegatis. Quibus ple-
nè liberâq; voce succinit Epistola Patrum Concilii, ad Theodo-
sium Imperatorem, quæ habetur, in *Actis Constantini.*

XXX.

Quantum attinet *Subsequentia*: fraudulenter omittit Jesuita
verba Epistolæ, quæ indivulso nexu, illo cum paragrapho, à Jesuita
sed vitiosè, allegato cohærent, quibus se, absque Papæ consensu,
Synodum Constantinopolitanam celebrâsse, neque teneri, ut
Romanam Synodum invisant, haud obscurè significant.

Verba sic habent:

*Requisito TANTVM MODO hujus Synodi Consensu ab Episcopis, qui in suis
provinciis remansisset, cum longioris profectiois neq; suspicari-
mur futurum, nec denunciatum nobis omninò prius esset opus,
quàm Constantinopolim venissemus.*

XXXI.

Tantum de priori Jesuitæ argutatiuncula: *Posteriorem firma-
re nititur autoritate Synodi Nicenæ II.*

XXXII.

Sed hæc nulla, planeque Antichristiana, propter sancitam inibi εικονολατρείαν, reclusis Irenes (verius Erinnyos) Imperatricis obtentam, quam eandem ob causam, hæc ipsa Synodus, in Synodo Francofurtensi, solenniter damnata fuit.

II. Locus Concilii.

Locus Concilii (b) Specialis erat Regia Imperatoris: Generalis, illa Orientalium Imperatorum sedes, & Nova quasi Roma Constantinopolis, ideò forsan Concilio isti destinata, quòd Antagonista, contra quem, eo in Concilio, pugnatum, Macedonius, ejusdem loci Episcopus fuerat; quemadmodum Synodus Nicæna vel ideò Nicææ indicta, quia istius Ecclesiæ Episcopus Fautor Arij Theogonius, censente *Luthero*.

(b) *Theod. lib. 5. c. 7.*

Tom. VII. Jen. f. 245.

XXXIV.

Hodie Urbs ista longè celebratissima, corruptâ voce 'naci-vâ, Turcis appellatur *Stambol*. In Tomis Conciliorum de eadem hæc, quæ jam, eorum gratia, quibus non suppetit librorum copia, subjungi mus posteritati commendantur:

Hujus planè Civitatis plures scriptores meminerunt sub nomine Byzantii, non sub nomine Constantinopolis. Scripserunt enim ante tempora Constantini Magni, qui hanc nominis mutationem fecit. Ptolemaeus siquidem lib. 3. cap. 11. tit. Thracie sicus, & iterum titulo in ore Ponti, addit Byzantium. Et Plinius lib. 4. cap. 11. tit. Thracia, dicit: Promontorium Chysoceras, in quo oppidum Byzantium libera conditionis, antea Lygos dictum, Abest à Dyrrbachio 721. millibus passuum. Et Anto. in itin. tit. Ab aureo monte Viceia, & c. Melanthiada, Byzantio, quæ & Constantinopolis. Item tit. à Constantinopolisq; Antiochiam. Item tit. à Dyrrbachio Byzantium & c. Clodiana, & c. Melanthiada, Byzantio, quæ Constantinopolis. Item tit. Iter rectum ab Hydrunto Aulonam, & c. Inde per Macedoniam usq; Constantinopolim & c. Apollonia, & c. Melanthiaca, Byzantio. Et Strabo lib. 7. ubi dicit: Iam usq; Byzantium progressi sumus, illustrissimam sanè civitatem, ad nobiliora
conf.

confinia propinquam, & Istri ostio vicinam, ab eo flumine naviga-
tionem planè demonstrantem. Supra Bizantium gens Astorum,
id est, civium jacet, in qua Chalyba civitas est.

Tom. I. Concil. f. 404, 405.

III. Tempus Concilii.

XXXV.

Tempus Concilii fuit (a) Mensis Majus, 2. Annus

Epoche Christiane 381.

Acra Hispanica 419.

Ab Alexandro 692.

Anno Theodosii à Gratiano in socium Imperij
delecti) 2

A Concilio Niceno 56

(a) lib. 5. c. 8.

IV. Modus

I. Occasio.

XXXVI.

De occasione ac fine istius Concilii ita satis luculenter & distin-
ctè Sozomenus lib. VII. c. 7.

Brevi deinde Concilium Episcoporum sibi consentientium convocavit, par-
tim ut Niceni Concilii decreta, confirmarentur: partim ut ordi-
naretur aliquis, qui Constantinopolitane sedis Episcopatum ad-
ministraret: partim etiam, quod existimaret eos, qui Macedonia-
ni appellantur, eum Ecclesia Catholica posse conciliari, &c.

2. Processus.

XXXVII.

Ex Ordine Canonum illius Concilii aliisque indiciis duce
(e) Luthero, hi jam subsignati Processus ejusdem gradus quinque
constitui possunt, salve aliorum ordine & judicio.

V. Gradus Pro-
cessus.

(e) Tom. VII f. 246.

XXXVIII.

I. Causa omnium maximè princeps disceptata fuit, ea ni-
mirum, quæ Orthodoxis cum Macedonio, ejusque sectatoribus
de æterna & essentiali SPIRITUS SANCTI DEITATE ca-
debat.

B

XXIX.

I. Decreta Synodi Nicenæ confirmata sunt, adeoque ad Symbolum Nicenum, post illa verba, καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον hæc quoque fuerunt adjecta, contra Macedonianos.

Τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν, τὸ ἐκ τῆς πατρὸς καὶ τῆς ἡς ἐκπορεύσθαι, τὸ σὺν πατρὶ καὶ ἡῶ συωπεροσκυνέμενον καὶ σὺνδοξα-
 τήμενον, τὸ λαλήσαν διὰ τῶν προφητῶν. Καὶ μίαν ἀγίαν
 καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, ὁμολογῶμεν ἐν
 βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, προσδοκῶμεν ἀνάστασιν
 νεκρῶν, καὶ ζωὴν τῆς μέλλουσης αἰῶνος.

Tom. I. Concil. p. 411. 412.

XL.

Ea autem verba: *FILIO*que, in hac Synodo, non fuisse inter-
 ferta certum est, & omnino *indubium*; eoque tum temporis, de
 isto Theologiæ capite nulla controversia.

XLI.

Incertum contra & dubium, quo præcise anno, ἐπεμβολὴ ista
 accesserit.

XLII.

Interim tamen quia in Synodo Tolerana VI. (*Bellarminus falso octavam fuisse scribit lib. II. de Christo c. 21.*) Anno Christi 653. cele-
 bratâ, primitus recitatur Symbolum cum hac additione: non in-
 scitè isthinc colligi posse videretur: ἐπεμβολῆ illam, circa istud
 tempus, Symbolo Niceno interfertam fuisse, ex Symbolo Atha-
 nassi.

XLIV.

Verba Symboli in Synodo jam nominatâ recitari inter alia
 hæc sunt:

*Credimus & profitemur Spiritum Sanctum neq; genitum, neq; creatum,
 sed de PATRE FILIO*que procedentem, *UTRIUS*que
 esse Spiritum, : ac per hoc substantialiter unum sunt, qui & unus
 ab *UTRO*q; procedit.

Cent. VII. Magdeb. f. 364.

XLIV.

Estq; cum primis ἀξιωματιόνων, quod Chronologus quidâ val-
 de industrius & eruditus, in Chronologia suâ annotasse legitur:

Disputatio (scribit) *agitata à Græcis de SPIRITU SANCTO, quod à*
Patre,

Patre, non autem à Filio procedat, cum hoc ab auctoribus Symboli additum non sit, Hispani autem tempore Pontificis Leonis primi id addiderant, & Gallia statim receperant; Romani verò tandem id admiserunt Quis Papa Nicolao.

fol. 714.

XLV.

Idē ex Actis Conciliorū refert, in Chronologia Anni à C. N. 809, Carolus jubet concilium celebrari Aquisgrani, in quo quæsitum fuit, an rectè ab Hispanis & postea à Gallis addita fuerint Symbolo Niceno quatuor hæ Syllabæ FILIOQUE, & cum sententia ipsa per se sit vera, num liceat idem canendo proferre, etiam si id vel Romæ vel alibi inusitatum sit. Mittuntur eadem de re legati ad Leonem Papam. Papa suadet Symbolum illud paulatim obliterandum, & tandem absq; additione hæc canendum.

fol. 719.

XLV.

Idem, eadem de re memorat:

Circa hæc tempora (Anno Christi 883.) Romæ etiam in Symbolo Niceno addita fuerunt Syllabæ hæ quatuor FILIOQUE, quas tamen dudum receperant Hispani, & postea Galli.

fol. 743.

XLVI.

III. Episcopi creati sunt & confirmati Orthodoxi, v. g. Antiochiæ in locum Meletii, durante Synodo ista, mortui, Flavianus: Hierosolymæ Cyrillus, à Macedonianorum errore conversus:

Theodoretus lib. V. c. 8.

Sozomenus lib. VII. c. 7.

Lutherus Tomo VII.

XLVII.

IV. Maximus Cynicus, per injuriam intrusus in Episcopatum, Constantinopolitanum, idemque & Apollinaris vesaniâ relictus, ab officio deponitur, deque successore deliberatur.

Socrates lib. V. c. 8.

XLVIII.

Deliberatio ista apud Sozomenum descripta, quasi actus complectebatur.

B 2

XLIX.

I. Theodosius Imperator Gregorium Nazianzenum, à *Nazianzo* oppido aliàs non adeò celebri, cujus Episcopus fuit, ita cognominatum ob vitam & doctrinam Patribus Synodi commendat, & Episcopum Ecclesiæ Constantinopolitanæ *postulat*: universa Synodus Orthodoxorum sententiam Imperatoris suò comprobabat calculo

Sozomenus lib. VII. c. 7.

L.

2. Diodorus Tharsi Episcopus, Episcopo Antiocheno commendat Nectarium Theologiæ rudem & nondum baptizatum, propter verandam canitiem, & dignam Episcopo faciem, addo etiam Generis & Senatorii Ordinis dignitatem.

Socrat. lib. V. c. 8.

LI.

Ille hujus nomen Imperatori unà cùm aliis assignatum tradit. Is Nectarium ex omnibus *deligit* Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, in quam Electionem Synodus ilico *consentit*.

Socrat. l. V. c. 8.

Sozomen. lib. VII. c. 5.

LII.

Ex his verò *duo* propullulant *περίσματα*: I. Hanc etiam Synodum quadantenus iudicio lapsam fuisse, ideoq; longè tutiùs Scripturæ oraculis, quam conciliorum decretis nos niti posse.

LIII.

2. Denominationem & postulationem Pastorum, uti nocent, non esse *Pontificium inventum*, sicut Politici quidam, Antiquitatis ignari, temerè contendunt. Neque tamen negamus, hæc ipsa ut & sexcenta alia, in Papatu, in abusum, fuisse pertracta. *ædissimum*.

LVI.

V. Tractantur ea, quæ τὰ *ἑνωρητικὴν* spectabant, cujuscmodi institutio Conciliorum Provincialium, itemque Episcopatum, & Patriarchatum distributio & distinctio; de qua re

Socrates lib. 5. c. 8.

LV.

LVII.

In primis verò huc spectat privilegium Patriarchæ Constantinopolitani, de quo (b) *cap. 5.* quod repetitur *in jure Canonico Distinct. 22, c. 3.* hisce verbis:

Constantinopolitana Civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum: propterea quòd sit nova Roma.

(b) *Tom. 1. Concil. f. 411.*

VII I.

Quod circa privilegium, duo veniunt summo opere expendenda, quasi ἀντιβλήματα, quibus non parum concussus & labefactus Pontificis Romani primatus & Antichristiana αυτοκρατορία in singulas & universas totius Orbis Christianiani Ecclesias, operose propugnata à Bellarmino, Sedis istius Apostolicæ ὑπεργραμμάτιον,
Tom. 1. Libris V. de Romano Pontifice.

LIX.

Primum est, quòd Patres Concilij illud Privilegium, Patriarchæ Constantinopolitano, concesserunt, inscio, imo invito Pontifice Romano.

LX.

Quam ob causam Canones istius Concilij à Romanensibus rejiciuntur, attestante Baroni; cum tamen Concilium istud, etiam eorum calculo, *Oecumenicum. σιδηρόξυλον!*

LXI.

Alterum, quòd ex isto privilegio orta σύρραξις perpetua, tanquam ex pomo Eridos, inter Patriarcham Constantinopolitanum, & Pontificem Romanum, quorum ille isti (vigore illius privilegij, & quòd non amplius Roma, sed Constantinopolis sedes Imperatoria, & Nova quasi Roma) non supponi: sed præponi contendit, monente *Luthero Tom. VII. p. 346.*

LXII.

Unde idem ibidem haud inscite colligit: Decretum illud de Patriarcha Constantinopolitano, non à SANCTO FLAMINE: sed à carnis ambitioso dictamine profectum fuisse.

3. Exitus.

LXII.

De Exitu Concilij audiamus Annalium Ecclesiasticorum Conditores, nominis celebritate nobilissimos, *Socratem & Theodoretum.*

B 3

LXIII.

LXIII.

Socrates ita quam brevissimè: Lib. V. c. 8.

*Hic etiam Imperator suffragatus est. Istud itaque concilium talem exitum
est consecutum.*

LXII.

Apparet & hinc, quod decreta Conciliorum, ut hæc & illa
rata forent, confirmari oportuerit per imperatores; siquidem Sy-
nodus isthæc non prius finita, quàm confirmatio Imperatoris ac-
cessit.

LXV.

Theodoretus verò sic habet:

*Sed secuta æstate eodem plurimi retrahentibus Ecclesiasticis negotiis redi-
re, & allatas ob occidentalibus Episcopis Synodicas literas accepere, quibus
invitabantur, ut Romam ad maximam, quæ ibi cogeretur, Synodum veni-
re vellent. Qui quidem profectiois ut inutilis petita venia, responsione sua
tempestates, quæ excitarentur in Ecclesiis significaverunt: Subnotaverunt &
ipsorum negligentiam, deniq; Apostolicam mentem illa expresserunt. Sed me-
lius scribentium virtutem ac sapientiam ipsæ literæ declarabunt.*

Lib. V. c. 8.

LXVI.

Istas verò literas Parrum, capite mox sequenti II. X. subjun-
git, quas postremi hujus Seculi in Ecclesia quasi Regnator Lu-
therus, tanquam κατ' ἀνάγκην ad quatuor potissimum capita re-
vocat.

Tom. VII. f. 245.

LXVII.

1. Est Macedonianæ πνεύτομαχίας, in Synodo Nicena con-
demnatio.

LXVIII.

2. Quòd Constantinopolis ab illis dicta nova Roma, novusq; ibi
creatus, absque præscitu & consensu Pontificis Romani, Episco-
pis.

LXIX.

3. Quòd Ecclesia Antiochena ab iisdem omnium vetustis-
sima statuitur Ecclesia tum quòd Fideles inibi omnium (c) no-
men Christianorum sortiti; tum quòd principes Apostolorum Pe-
trus & Paulus eo loci Evangelion, longo temporis & tractu con-
cionati. (c) Act. c. II.

LXX.

4. Quod ab istis Ecclesia Hierosolymorum salutatur Mater o-
mnium Ecclesiarum, eo quòd ibi unicus Novi Testamenti Sacerdos
CHRI.

CHRISTUS seipsum obtulit, in ara crucis: de quo sacrificio *ἱερα-
τία μοναρχόωω*, ex professo, in Epistola Hebraei inscripta.

LXXI.

5. Quod ab iisdem Episcopus Constantinopolitanus Patriarcha
designatus, absque ullo Flaminis Romani suffragio,

LXXII.

Quæ singula & universa gloriationi Papicolarum, de primatu
Romani Pontificis, adverso, quod dicitur flumine & flamine,
contranuntur.

*V. Materia, sive negotia, de quibus disce-
ptatum in Concilio.*

LXXIII.

Negotia hujus Concilij partim fuerunt *Dogmatica*: partim
Ecclesiastica.

LXXIV.

Ad *Dogmatica* pertinet Controversia, de æterna & essen-
tiali DEITATE SPIRITUS SACNTI cujus gratiã *ἐπιείκεια*
illud, quod suo superius loco recitavimus, Symbolo Niceno fuit
superadditum.

LXXV.

Ad *Ecclesiastica* spectant ea, de quibus hætenus, & paulo superi-
us videlicet: 1. Novi, in Ecclesia Constantinopolitana, Episcopi,
imò Patriarchæ constitutio. 2. Episcopatum & Patriarchatum
distinctio. 3. Conciliorum Provincialium aliarumque rerum ad
disciplinam & *εὐταξίαν* Ecclesiasticam spectantium sanctio.

VI. Personæ quæ interfuerunt Concilio.

I. Præses.

LXXIV.

De *Præside* inter Orthodoxos & Romanenses non contröver-
tetur, quòd Bellarminus ipse non audet diffiteri in hæc verba *Δεξι-
πῆδον* scribens: Lib. I. de Conciliis c. 19.

Constat etiam non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium Epif-
copum Constantinopolitanum, cujus rei causa est, quia Romanus Pontifex non
interfuit, nec per se, nec per legatos.

LXXV.

Concidit igitur, vel ipsius Protagonistæ Romanensium pro-
priã confessione, istud eorum principium: *solius Romanis Pontificis*

esse

αὐτὸς ἢ ὑπὸ τοῦ Πάπῃ, ἢ ὑπὸ τοῦ Λογάρου, Synodo præsideat, & tanquam supremus iudex omnia moderetur; quæ sunt ipsa ipsius Bellarmini verba, loco jam allegato.

LXXVIII.

Cur ergò non præsedet Synodo huic Oecumenicæ, quæ ab ipsis Romanensibus pro Oecumenica habetur: Romana autem quam Damasus Papa convocavit, & cui idem αὐτοπροσώπως præsedet minimè?

2. Personæ quæ inter fuerunt Synodo

LXXIX.

Hæ partim fuerunt Imperator: partim Episcopi

LXXX.

Imperatorem interfuisse, testatur (d) Theodoretus scribens: ipsum Miletium nunquam antea visum mirabiliter agnovisse; omnes humanissimè salutasse & rogavisse: βλεψάμενος αὐτὸν τῶν ἁγίων μένων.

Lib. V. c. 7.

LXXXI.

In fumos igitur abit Romanensium ματαλογία de personis secularibus in Concilijs in consilium non adhibendis. Bellarm. ib. I. de Concil. c. 15.

LXXXII.

Episcopi erant partim Orthodoxi: partim Pseudodoxi sive Macedoniana hæresi infecti.

LXXXIII.

Illorum erant 150: horum 36. Ita enim habet Sozom. Lib. V. c. 7.

Convenerunt igitur ex his, qui Trinitatem consubstantialem profitebantur, circiter centum & quinquaginta: ex his qui Macedonij sectabantur hæresin, sex ac triginta, quorum plurimi ex civitatibus ad Hellepontū sitis erant.

3. Antagonista.

LXXXIIII.

Antagonista erat Macedonius Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ Episcopus, hujusque Sectatores, & in Concilio tum presentes Eleusius Cizici & Marcianus Lamfati Episcopus. Sozomenus Lib. V. c. 7.

VII. Finis & Effectus.

LXXXV.

Furor Macedomanorum repressus: fides Niceni Symbolimagis confirmata: libertas Ecclesiæ adversus Papam Romanum ostensa ac defensa est.

FINIS.

W. A.

05 A 528

ULB Halle

3


004 209 354



1013







DOCTORE ET DUCTORE SPIRITU
SANCTO,
VI. DISPVTATIO
ισωοδολογική
εαυε
III. Specialis & prior de SYNODO CON-
STANTINOPOLITANA I.
Oecumenica II.
De
ACTIS SIVE REBUS
GESTIS SYNODI
κατὰ τῆς ἐπίσεως ἰσορμῆς
In Electorali ad Albim Academia,
AUTORE ac PRÆSIDE
I O H A N N E F Ö R S T E R O
SS. Th. D. & Prof. Ordinario.
Respondente,
M. JACOBO ECHMANNO
Wittenbergensi.
Ad diem 28. Novembr. horis locq̄, consuetis.
WITTEBERGÆ,
Ex officina Iohan. Gormanni
ANNO M. DC. XII.